

CHRISTI
451.

LEONIS PAP.
12.

VALENTIN. 27. IMPP.
MARCIANI 2.

*Et jam terris suis diffuderat Attila turmis
In campos se Belga tuos: vix liquerat
Alpes
Actius, tenuis & rarum sine milite ducens
Robur, in auxiliis Geticum male cre-
dulus agmen
Incassum propriis præsumens adfore
castris, &c.*

Addit de Avito tunc Galliarum Præfe-
cturam moderante, qui conciliavit, jun-
xitque Gothos cum Romanis: sed de his
inferius agendum.

XXXVII. Antea enim de Attila aliqua sunt re-
seranda: atque illud in primis, ipsum ex
predictione ejusdem sanctissimi viri co-
gnominari voluisse, *Flagellum Dei*; quod
nimirum a Deo missus esset ultor scele-
rum peccantium Christianorum, instar
Asur, qui *Virga furoris Domini*, est
(a) *Isa. 10.* nominatus (a). Contremuerunt quidem
non Gallie tantum, sed universus plane
orbis Occidentalis ad nomen Attilæ: ex-
pavisse etiam Urbem, ex iis intelligis,
quæ ex Leone Papa superius sunt reci-
tata.

Scimus a Gregorio Turonensi & aliis
ad hæc tempora referri susceptam ad an-
tevertendum hujuscemodi flagellum Dei
peregrinationem ad limina Apostolorum
a sancto Servatio Tungrensi Episcopo.
Verum nemini rationem temporis accu-
rate expendenti hæc probari possunt:
cum constat ex iis, quæ suo loco superius
dicta sunt, sanctum Servatium ante an-
nos ferme centum vixisse, ejusque tem-
pore alias clades barbaricas accidisse, ut
non sit opus ad hæc ea referri tempora,
ut superius demonstravimus. Nunc vero
Octavia Tungrorum urbs fertur excisa,
non credentibus civibus suo ipsorum Epi-
scopo Azanario venturam cladem prædi-
centi. Exufflanda vero sunt, quæ Aven-
tinus æque impius atque imperitus som-
niavit de Theodorico & Anthemio Va-
lentiniani Imperatoris Ducibus pacem cum
Hunnis firmantibus: de quibus modo satis
sit reddere, quæ gravissimus auctor qui res
Augustæ Vindelicorum felicissime profes-
cutus est, Marcus Velserus, deliria e-
jusdem sugillans, habet his verbis (b):
*Aventinus Theodoricum Veronensem Tri-
arii*

XXXVIII.
Peregrinatio S.
Servatii
longe an-
te.

(b) Marcus
Vels. ver.
Aug. lib. 8.

PAGIUS *grentis ac Trajectensis*, Tomo VII. SS. mensis Maii
præfixa, quæ ultimum ejus opus fuit, illam
rursus tuitus est ac magis confirmavit. Quod
mirum videri non debet; cum opiniones vul-
gares, quæ ante mentibus infederunt, non nisi
ægre deponantur.

V. Verum præter S. *Servatium*, qui anno trecen-
tesimo quadagesimo sexto Concilio Colonien-
si cum *Victore* Vangionum seu Metensium Episco-
po, aliisque pluribus Galliarum Antistitibus sub-
scripsit, diversum esse a *Servatio* Episcopo etiam
Tungrensi, qui imminente cladē Attiliana spi-
ritum Deo reddidit, & Sancto *Auctori* Meten-
sium Episcopo hoc anno adhuc viventi coævus
ac amicus fuit, certa apud me stat sententia,
quæ quia communi adversatur, validis hic ar-
gumentis probanda. *Victorem* itaque Concilio
Colonien- si cum *Servatio* primo interfuisse, præ-
terquam quod id in Actis ejusdem Concilii di-
serte legitur, demonstrat Synodica Concilii
Sardicensis anno CCCXLVII. congregati a D.
Athanasio in Apologia 2. recitata, quæ & le-
gitur Tom. II. Concil. pag. 670. & seqq. in
qua recensentur *Victor* & Episcopi omnes, qui
Colonien- si adfuerunt e Galliis. Præter dubs, sc.
Pancharium & *Sanctinum*, ac præterea nume-
rantur alii duodecim ex Galliis, qui cum Epi-

scopis Hispaniarum, Africa, Ægypti, Italia,
Cypri & Palæstina Sardicensi subscribere. Et
tamen Henschenius, qui ad hanc Synodicam
Concilii Sardicensis animum non adverterat, ex
ætate Sancti *Auctoris* Metensium Episcopi, ad pro-
bandam suam sententiam argumentum desumit,
aitque Harigerum, narrare Sanctum *Servatium*
ex itinere Romam instituto deprecandi excidii
causa ad Sanctum *Auctorem* accessisse, atque post
Harigerum omnes *Servatiana* Vita Scriptores
idem referre, subditque confedisse *Auctorem*
cum *Servatio* Concilio Agrippinensi, sed unica
littera mutata, per Amanuensium inadvertentiam
in Actis *Victorem* scribi; eumque erro-
rem jam ante observatum fuisse a Meurisso in
Hist. Episc. Metensium, Ægydio Gelenio lib. 1.
de magnitudine Colonia Agrippinensis, Clau-
dio Roberto in Gallia Christiana, aliisque. At
Harigerus, qui initio sæculi XI. adhuc in vi-
vis erat, aliique omnes, qui nostra ætate idem
scripsere, hac in re minime audiendi contra
fidem omnium editionum Conciliorum, & Ope-
rum S. Athanasii. Præsertim cum in rebus Tun-
grensibus narrandis sæpius cæcutierint, nullum-
que Codicem aut editum, aut MS. pro se af-
ferant. [1]

Au.

NOTÆ [1] Opinione de uno S. Servatio recentiores Eruditi non solum non abiecerunt, quod even-
turum sibi Pagius spondet hic num. 14. sed & amplexi fuisse vult, explosa duo-
rum *Servatorum*, ut illi quidem ajunt, fabella. Igitur admittunt illi quidem S. *Servatium*, qui
anno 345. Concilio Colonien- si adfuerit, sed negant alium S. *Servatium* Tungrensem Ecclesiam
administrasse, quo tempore Attila Metensem Urbem afflixit. Nam S. Gregorii Turonensis, unde
alii id acceperunt, textus, in quo Attila occasione hujus historię commemoratur, corruptus est,
ut ejus editor Ruinartus in sua adnotatione agnoscit, & probat. Nihil ergo aliud scripsit S. Gre-
gorius quamquod tempore S. *Servatii* Hunnorum excursio quædam Galliam afflixerit, non quidem
ea, quæ sub Attila accidit, sed alia uno sæculo anterior. Nomen autem Attilæ in Textum ejus
per errorem irrepit. Nec sane Attilæ nomen exhibet Auctor *Vitæ* Sancti *Servatii* Cap. 3. Ra-
tiones alias expendit P. Jo. Baptista Sollerius in Actis SS. ad diem 10. Augusti pag. 537. qui
etiam pro opinione de unico S. *Servatio* affert Longevillæum novissimum Historię Gallicæ Scri-
ptorem tom. 2. pag. 64. nec ab ea alienum esse Ruinartum in sua editione Turonensi. asserit.